

colligitur varietas à priori. Nam decreta Dei sunt simplicissimus actus intellectus & voluntatis Dei, quo ille judicavit sapientissimè bonum esse aliquid extra se facere, præcipere, & permettere, illudque sanctissimè voluit.

IV. Ex necessitate infallibilitatis, qua est respectu Dei, male colligitur necessitas coactionis, aut etiam necessitas consequentis. Nam omnia, cum necessaria, tum contingencia in naturâ suâ, sunt necessariò ex hypothesi præscientiaz Dei, quæ falli non potest: at eadem sunt vel necessariò, vel contingenter in causis suis; neutra coacte.

V. A decreto Dei ad executionem, & viceversa ab executione ad decretum valet consequentia, quatenus execuzio est speculum decreti. Nam quæ Deus ab æterno decrevit, illa exequitur in tempore, eomodo, quo decrevit: & quæ in tempore exequitur, illa ab æterno decrevit, eomodo, quo exequitur.

VI. Ex distinctione modali decretorum Dei non licet colligere realē. Teneatur hīc illud simile: Sicut infinitæ imagines in speculo non sunt res distinctæ in speculo, ita ut speculum ideo mutationem aut compositionem subeat: sic infinita decreta in Deo se habent.

B 3 CAP.